

vel indifferens, sed media quaedam illicita adhibentur, videndum est in singulis casibus, juxta generales regulas de cooperatione datas (Vol. I. n. 235), num sufficiens detur ratio in his societatibus permanendi : quod facilius obtinebit pro sociis qui minorem partem actionum, ideoque et minorem influxum habent, et quod poterant ad mala illa extirpanda, frustra tentarunt.

SECTO II. — DE OFFICIIS CLERICORUM.

CAPUT I.

DE VOCATIONE AD STATUM CLERICALEM.

24. I. Ad statum clericalem ligitime ingrediendum requiritur imprimis **vocatio exterior**, in eo sita quod ordinandus libere admittitur ab episcopo qui Dei nomine honorem status ecclesiastici confert. De hac vocatione externa proprie procedit : “ Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron „ (Hebr. V, 4), ut manifestum fit comparanti locum ad quem Apostolus alludit, nempe Ex. XXVIII, 1, ubi Moyses jubet Aaronem ejusque filios constituere in sacerdotes. Cfr. Ball. P. de Praec. partic. c. II. n. 1 seqq.

Per *statum clericalem* hic intellegimus tantum condicionem eorum qui saltem subdiaconatu initiati sint. Nam, licet clericis adscribantur quicunque primam tonsuram acceperint, ii tamen, donec sacrum ordinem suscipiant, nondum habent *ex ipsa condizione sua* illam firmitatem quae ad statum proprie dictum necessaria est.

II. In ordinandis requiritur praeterea **vocatio interior**. Haec tamquam fundamenta praesupponit scientiam competentem et morum sanctitatem ; formaliter autem consistit in consilio divinae Providentiae aliquem e communi laicorum statu eligentis ut ad clericatum ascendat, et eidem congrua auxilia ad speciales hujus status obligationes ferendas praeparantis.

Talem vocationem requiri, patet e sublimitate status clericalis, qui, cum sit communi christianorum condizione multo praestantior et difficilior, praestantiores quoque intellectus et voluntatis dotes ac specialia gratiae auxilia requirit ut digne exerceri valeat. Nec dubitari potest quominus infinita Dei Sapientia et Bonitas dignos Ecclesiae suaे ministros præparet, atque in hunc finem, per internas mentis illustra-

tiones et voluntatis motus, ad illum statum amplectendum allicit quos jam naturalibus dotibus, eidem ministerio necessariis, instruxerit.

Cognoscitur autem hoc divinum consilium per motus interiores, quibus homo vocatus ad hunc statum amplectendum allicitur. Quare si quis, scientia et probitate praeditus, neque ullo canonico impedimento irretitus, sentit se habitualiter ferri ad clericatum ingrediendum ob motiva supernaturalia, puta ad salutem animae propriae certius obtinendam, ad auxilium spirituale proximo ferendum, etc., is de divina vocatione satis securus esse potest. Frustra enim exspectaretur alia significatio divinae electionis quam per illas mentis illustrationes et potissimum voluntatis motiones, quibus solet Deus homines ad quolibet salutare bonum allicere.

Quandoque contingit ut qui olim merito se vocari ad statum clericalem aestimabat, recte postea contrarium judicium eliciat, eo quod aliquam mutationem in seipsum induxit, ob quam vere existimet se jam aptum non fore officiis hujus status implendis, puta ob habitus pravos quos peccatis contraxit, ob amissum tempus quo scientiam debitam acquirere potuisset. Manifestum quoque est probitatem non semper in ordine temporis anteire vocationi formaliter sumptae : nam etiam malos Deus vocare potest ut, poenitentia acta, congruam virtutem assequantur, sicut crebro vocat indoctos ut, studio adhibito, congruam scientiam acquirant.

25. III. Qui renuit sequi vocationem ad statum clericalem certo cognitam, leviter quidem peccat, cum id agat ob motivum rationi non consentaneum, puta ob timorem laborum, ad fruendum laicorum libertate, etc. Graviter autem peccare non videtur, siquidem Deus ipse allicit, non imperat, neque deerunt homini alioquin bene disposito (ut supponimus) auxilia gratiae necessaria, quibus in statu laicali salutem consequatur. Nemini enim denegat Deus ea quae requiruntur ad omnia officia implenda, et, si oratur ut oportet (ad quod semper praesto est auxilium sufficiens), dat etiam omnibus gratias congruas et efficaces. (Ball. P. n. 6)

IV. Qui statum clericalem ingreditur, praeditus bonis moribus et sincero animo omnes hujus status obligationes exsequendi, non videtur graviter peccare ex eo tantum capite quod non habeat vocationem interiore formaliter sumptam, puta quod impellatur tantum commodioris vel honoratioris vitae desiderio. Nam, cum bonos gerat mores, non erit ipsi adeo difficile, ope gratiarum quae non denegabuntur (III), fidellem esse clericalibus obligationibus. Leviter quidem peccabit ob hanc minus rectam intentionem : sed hanc facile in meliorem mutare potest.

26. V. Graviter peccat qui, turpium peccatorum consuetudine irretitus, sacrum ordinem suscipit, etiam rite peracta confessione, sed non habens *probabilem aestimationem* quod, suscepto ordine, caste victurus sit.

Nam leges ecclesiasticae plurimae (cfr. Decr. l. 3. t. 14. c. 9) exigunt ut ordinandi sint *probatae castitatis*. Haec probatio directe pertinet ad absentiam peccatorum turpium, de quibus in foro externo Ecclesiae constare possit. Nihilominus inde sequitur obligatio ut nemo se offerat ordinibus suscipiendis, conscient sibi penitus deesse virtutem castitatis, ita ut non tantum eam crebro violaverit, sed, juxta humanas conjecturas, existimare debeat se, suscepto ordine, in iisdem pravis habitibus mansurum esse. Verum quidem est eum semper posse, cum divinae gratiae auxilio, quibuslibet tentationibus resistere; sed Ecclesia videtur exigere probabilitatem quod de facto huic gratiae sit cooperaturus. Hoc sensu edixit Conc. Trid. Sess. 23. de ref. c. 13 : " Subdiaconi et diaconi ordinentur... qui sperent, Deo auctore, se continere posse. „ Hanc igitur obligationem opinamur oriri e legibus quas Ecclesia tulit ut sanctitati status clericalis consuleret, non autem e lege naturali, quasi ordinem sacrum suscipiens, cui adnexum est votum castitatis, se exponeret periculo proximo gravium peccatorum ob magnam servandae castitatis difficultatem. Nam, ut scite advertit S. Alph. (l. 6. n. 74), si haec ratio admitteretur, dicendum esset hoc votum jam non esse de meliori bono, et consequenter nullum : reapse autem, juxta communissimam sententiam, castitatis votum statim, sine praevio experimento, emissum ab eo qui in peccato lasciviae habituatus est, validum est.

Hinc patet quid respondendum ducamus huic celebri quaestioni : Num absolvit clericus habituatus in peccatis lasciviae occultis, ob reliquias dispositiones absolutione dignus, sed qui ad ss. ordines ascendere velit sine praecedenti continentiae experimento.

Vid. censemus, cum Ball. P. n. 15, eum in rigore absolvit posse, dummodo sincere coram Deo existimet posse castitatem clericalem servare et praestare quae ad hunc finem necessaria judicet confessarius, is autem non cernat ordinandum manifeste decipi. Quidam AA. severiores, ut Habert, Juenin, etc. contendunt dari legem ecclesiasticam qua hujusmodi ordinandus per certum tempus exspectare jubeatur donec de emendatione constet. Id tamen falsum esse patet ex ipsis verbis quibus episcopus subdiaconatu initiando alloquitur : " Si usque nunc fuistis ebrii, amodo sobrii; si usque nunc in honesti, amodo casti. " (Pont. Rom.) S. Alph. licet nobiscum hanc legem esse neget, paulo diversam regulam statuit (l. 6. n. 64), vid. regulariter talem ordinandum non posse absolvit, quia ordines sacri e natura sua et Canonum praescripto praerequirunt bonitatem praecellentem, quam per se non habet qui recens e caeno-

vitorum resurgit ; quandoque tamen, in casu extraordinario, hanc bonitatem excellentem statim a Deo dari posse, idque constitutum confessario e signis ferventissimae contritionis. Verum, ut nihil dicamus de fallacia horum signorum, ipsum fundamentum S. Doctoris, nempe illam necessitatem praeviae bonitatis excellentis, incertum esse agnoscit Bened. XIV (de Syn. Dioec. l. XI. c. II. n. 18), dum, exposita utraque sententia, tum affirmante, tum negante praefatam necessitatem, concludit : " Nullam suppetere regulam generalem quae in hujusmodi casibus indistincte ab eo (confessario) adhiberi valeat. Quare non aliud consilium eidem praeberi posse censemus quam ut omnia personae, rerum et casuum adjuncta diligenter inspiciat et mature perpendat ; meminerit etiam sibi non modo judicis, sed etiam medici partes impositas esse ; medici autem officium esse, eam curam aegroto adhibere eaque ipsi praescribere remedia, quae credit illius saluti magis opportuna et proficia fore. „ Sed de hoc medici officio a confessariis exercendo, cfr. n. 360.

27. Quaedam ad praxim addere juvabit, nempe :

1º Facilius permitti potest ut is qui jam subdiaconatum suscepit, ordinem superiorem petat, nisi suscepturus presbyteratum se exponat periculo dandi scandala, Ecclesiae perniciosa. Ratio est, quia nequit Ecclesia supponi velle ut is qui jam statum initit, a cuius obligationibus aegerrime dispensatur, non suscipiat ordines quibus indiget ut labores vocationis suae exsequatur. Atque tunc praecipue, dummodo ordinandus sit bona voluntate praeditus, gratiae divinae fidendum erit, praescriptis omnibus cautelis quae periculum removere possint.

2º Obligatio abstinenti a susceptione ordinis, saltem immediata et absque praevio experimento, saepius adesse poterit iis qui habituati sint in peccatis turpibus cum aliis personis, eo quod ista facile possunt postea in grave scandalum et ruinam animarum vergere.

3º In plerisque casibus non erit habitus adeo inveteratus vel propensio tam vehemens ut detur stricta obligatio tum poenitenti abstinenti, tum confessario avertendi ab ordinis susceptione. Hic tamen illi utilissimum consilium plerumque dare multumque instare debet ut saltem exspectet donec emendatio per aliquot menses obtenta fuerit. Immo generaliter melius erit ut ille militiae clericali penitus valedicat. Nam, quando propensio ad venerea in ipsa indole physica altas radices habet, ut contingit fere semper iis qui, inter ipsas seminariorum latebras, vitio turpi innodati manent, vix potest sperari perfecta emendatio ; quae, etiamsi ad tempus obtineretur ob vehemens desiderium suscipiendi ordines, plerumque non perstabit, praesertim quando, in exercendo ministerio sacro, plurimis periculis obnoxii erunt. Quare valde timendum est ne,

sacerdotes facti, ducant vitam valde molestam inter juges lapsus, vel etiam ne scandala praebeant.

4º E consuetudine peccatorum alius speciei generatim non exsurget obligatio differendi s. ordinis susceptionem. Excipienda tantum foret consuetudo prorsus inolita ebrietatis: nam haec, perinde ac peccatorum luxuria frequentia, hominem vinculis vix abrumpendis constringit et scandalis, toti ordini clericali maxime nocituris, latam viam pandit.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM.

28. Agemus hic de officiis, tum positivis, tum negativis, quae incumbunt universim clericis, saltem iis qui majoribus ordinibus initiati sunt vel beneficium ecclesiasticum possident. In sequenti autem Cap. dicemus de obligationibus propriis eorum clericorum qui peculiare munus assumperunt, ex quo nova officia nascantur.

Praeter istas legibus determinatas obligationes, multas alias observare debent clerici, ob statuta vel praecpta quae singulis imponuntur a praelatis suis. His enim praestare debent oboedientiam quae *canonica* dicitur et tamquam materiam habet quidquid necessarium est ut iidem praelati jurisdictionem suam in subditos, pro legibus in Ecclesia vigen-tibus, exercere valeant. Hanc oboedientiam episcopi, in ipsa ordinatione sua, jurejurando R. P. promittunt; eamdem saeculares clerici episcopo dioecesano, regulares praelato regulari spondent, dum presbyteri ordinantur. Hujus neo-presbyterorum promissionis effectus est ut virtute fidelitatis, sub levi obligante, se ligent ad exsequenda ea ad quae jam vi status sui erga episcopum vel praelatum tenebantur. (Gasp. de s. Ordinat. n. 1070) Quare dioecesim suam, invito episcopo, relinquere vetantur, saltem si alicujus ecclesiae servitio adscripti fuerint. Quodsi nulli ecclesiae sint adscripti, regulariter episcopus eis denegare nequit litteras *excorporationis*, modo constet fore ut aliis episcopos eos clero suo adscribat. Hodie tamen, praesertim ubi penuria sacerdotum laborat dioecesis, episcopus eos retinere poterit, modo eis stipendum et officium assignet. Cfr. Act. S. S. t. 5. p. 477 seqq.

Quid autem in specie presbyteris saecularibus praecipere possit episcopus, e ss. Canonibus et receptis consuetudinibus cognoscendum est. Nequit sane iis imponere obligationes quibus auferrentur facultates quae ipsis ex jure communi hodierno competunt, puta morandi apud consanguineos, habendi bona propria, etc. Ideo S. C. C. 25 Jan.

1895 respondit episcopo Montisvidei postulanti num sacerdotes suos obligare posset ad suscipiendam regulam instituti Ven. Holzhauer: "Ad propositam vitam communem clericos posse allici, non obligari." (Act. S. S. t. 27. p. 675)

§ 1. DE CAELIBATU SERVANDO.

29. I. In Ecclesia latina, clerici omnes qui subdiaconatu initiati sunt, non tantum prohibentur sub gravi quominus matrimonium ineant vel matrimonio jam contracto utantur, sed insuper ex peculiari obligatione religionis, tenentur abstinere ab omni actu, sive interno, sive externo, contra castitatem.

II. Haec obligatio, quae *caelibatus ecclesiastici* dicit solet, non oritur ex jure divino. Id clare patet e more qui, tolerante S. Sede, viget in Ecclesia graeca: nam clericis graecis, qui, antequam diaconatum susciperent, conjugati erant, permittitur ut uxore sua utantur, nisi ad episcopatum provehantur. Cfr. Trid. Sess. 24. can. 9, ubi lex caelibatus ecclesiastici diserte nuncupatur *ecclesiastica*. Legem hanc, ipsorum Apostolorum moribus inductam, jam saeculo IV^o varia Concilia urgent de sacerdotibus et diaconis; ad subdiaconos autem eamdem extendit S. Greg. Magnus: "Nullum facere subdiaconum praesumant episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit." (Decr. Grat. dist. 28. c. 1.)

III. Ex illa lege ecclesiastica factum est ut, in Ecclesia latina, susceptioni subdiaconatus adnexum fuerit votum, saltem implicitum, castitatis. Id manifeste patet e multis documentis ecclesiasticis; specialiter ex cap. un. de Voto (6ⁱ Decr. I. 3. t. 15), in quo Bonifacius VIII declarat sollempne esse votum quod in susceptione ordinis sacri emit-titur, et ex cap. Cum olim (Decr. I. 3. t. 3 c. 6) in quo Innocentius III talis voti consuetudinem in Ecclesia occidentali manifeste supponit, dum scribit: "Nos igitur attendentes quod orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto, etc."

Attamen plures AA., ut S. Alph. (I. 6. n. 808), tamquam probabilem habent sententiam: obligationem caelibatus in clericis non ex voto, sed ex sola Ecclesiae lege oriri. Sed, ut erudit exponit Ball. P. (n. 18 seqq.), sententia illa procul aberat a mente Theologorum qui, tamquam ejus fautores, allegantur. Hi enim non inquirebant de ratione e qua immediate oriatur obligatio caelibatus, sed de principio immediato nullitatis matrimoni quod clericus in sacris constitutus attentaret. Hoc posterius recte